

abusus, signum s. Crucis et Sanctorum Reliquias ad impetrandam a Deo pluviam tempore siccitatis in aquam immergere aut madefacere.

N. 564 die 19. Jan. 1619.

#### 44) Veneratio.

Vd.: *Reliq.* (expositio, incensatio); *Reliq. s. Crucis*; *Reliq. guitarum SS. Sang. J. Chr.*; *Reliquiae* (genull., asserv., baptizatae, incerti nominis, inventio); *Constit. Clem. XI. diei 14. Oct. 1716* (Bull. r. t. VIII. p. 259)

Reliquiae Sanctorum in locis, in quibus coluntur, solent praestare validum praesidium ad arcendas calamitates et succurrendum necessitatibus. *Bened. XIV.* in Appendice ad tom. 4. sui Bullarii in Constitut. incip.: *Jamdudum* §. 19., ubi adducit exempla.

Reliquiae Sanctorum ut decenti loco statuatur, curae Episcoporum mandatum est a Concilio Tridentino. Idem ibidem Constitut. incip.: *Soror Imelda* §. 1.

Reliquiis Sanctorum utcumque exiguus et licet ignoretur nomen proprium Sancti, cujus sunt hujusmodi exuviae, cultus est exhibendus. Idem ibid. in d. Constit.: *Jamdudum* §. 1 et 2.

Major tamen est fidelium devotio erga integrum corpus alicujus Sancti, si praesertim de ejus proprio nomine constet. Idem ibid. §. 5.

Reliquiae puerorum, cum notis Martyrii repertae, cultum publicum in Ecclesia obtinuerunt. *Benedictus XIV.* Constit. incip.: *Beatus Andreas* §. 20., ubi ad id varia adducit exempla.

*S. Paulus I. PP. Abbati Monasterii ss. Stephani M. et Sylvestri C.*

Quoniam dum ipsi martyres Christi, contemptis humanae gloriae blandimentis, atque diversa tormentorum supplicia perpassi, pro Christi sunt nomine capite truncati et amici Dei

effecti, omnino congruit, ut sicut eorum animae in coelestibus regnis cum angelis triumphant, ita et in terris quoque eorum sacratissima corpora *lucidissimis habitaculis collocata* optime ab omnibus venerentur Christianis, dum nimirum impensius pro suis cultoribus divinam non desistunt implorare omnipotentiam. Ipsorum quippe me sanctorum confero praesidiis, confidens eorum me suffragiis a peccatorum, qua premor, exui mole.

Die 4. Julii 761.

(Bull. r. t. I. p. 249. n. 3. Ed. Aug. Taur. 1857.)

#### 45) Visitatio.

Si in visitatione adinveniantur Reliquiae antiquae, quae ob injuriam temporum seu ob incuriam custodum careant suis authenticis, debet visitator permittere, ut habeantur in ea veneratione, qua hactenus fuerunt. Sic voluisse S. C. C. refert *Barbosa* in Summa, verbo: *Reliq. SS.* n. 3. et *de Off. et potest. Ep.* p. 3. alleg. 97. n. 11.

*In Visitatione SS. Reliqu. inquirendum est:*

An decenter custodiantur in thecis saltem ex ligno deaurato et cristallo seu vitro integro contactis cum suis inscriptionibus?

An retineantur in armario ornato loco fixo sub sero et clavi cum Epigraphe: *Reliquiae Sanctorum*?

An adsit catalogus omnium Reliquiarum et an sint authenticae vel ignotae aut dubiae fidei?

An asportentur ad infirmos? si enim hoc fieret, prohibeatur.

An in illarum publica expositione accendantur lumina et si subter altaria sunt deposita corpora integra SS., an retineatur lampas accensa?

*Monacell. t. 1. in append. in fine; et t. 4. Suppl. ad 1. t. post n. 267.*

### S. REMIGIUS.

Officium s. Remigii Episcopi et confessoris concessum pro toto Orbe sub ritu semiduplici ad libitum die 1. Oct. in Basilica s. Cosmae et Damiani perpetuo impeditur infra octavam eorumdem sanctorum; ideo supplicatur, ei assignari tamquam propriam diem 30. ejusdem mensis Octobris.

Et S. eadem R. C. rescribendum censuit: „Satis esse, ut Officium s. Remigii in casu, de quo agitur, celebretur sub ritu simplici.“

N. 3901 ad 5 die 12. Junii 1717.

### REPOSITIO.

#### 1) Festorum.

Vd.: *Festum* (repos.).

#### 2) SS. Sacramenti.

##### a) Missa.

Vd.: *Missa de SSmo* (in ejus expos. et repos.).

##### b) Modus.

Vd.: *Instructio Clem. §. XXX. 20 etc.; XXXI. n. 12. 13.*

*Ad dubium:* Utrum in die Octava Festi Corporis Christi Canonicus, qui SSimum Eucharistiae Sacramentum delaturus est in Processione, quae fit ad illud in tabernaculum reponendum, debeat aut possit super rocchetto assumere amictum, albam, cingulum, stolam et pluviale albi coloris? ut fert doctissimus Gavantus?

Rescriptum prodiit:

„Affirmative, seu teneri ad assumendum amictum, albam, cingulum, stolam et pluviale albi coloris, comitantibus ministris.“

Atque ita S. C. rescribere rata est propositoque dubia declarare.

N. 5208 ad 20 die 12. Aug. 1854.

#### c) Nocte.

SS. Sacrament. in Oratione 40 hh. nocte non est in tabernaculo recludendum.

*Instructio Clem. §. XXXIII. n. 3. etc.*

#### d) Oratio.

Vd.: *Te Deum* (oratio; decr. n. 5111).

### REPRÆSENTATIONES DEVOTÆ RERUM PIARUM.

Vd.: *Theatrum in Eccles.; Process. ss. Corp. Chr.* (laici etc.; quae res circumferri etc.); *Process.* (laici); *Parasceve* (processio); *Vestes Religiosor. etc.*

*Ad dubium:* An in Ecclesiis fieri possint repraesentationes devotae rerum piarum, puta solemnitatum mysteriorum fidei, passionis domini, vitae alicujus sancti, etc.? *affirmant Barbosa* in cap.: *Cum decorem* n. 6., *Bellet.* disquisit. Cleric. part. 1. §. 23. n. 20., *Cohell.* ad bull. bon. reg. cap. 40. n. 8., *Ursaya* num. 29. per text. in citat. Concil. Toletano 22. cap. 19., ibi: „Per hoc tamen honestas repraesentationes et devotas, quae populum ad devotionem movent, tam in praefatis diebus, quam in aliis non intendimus prohibere.“ Sicque tales repraesentationes, dicunt ipsi, conducunt homines potius ad compunctionem, quam ad lasciviam seu voluptatem. *Negant* autem *Monacell.* num. 107., *Romaquer.* ad Synod. Gerund. lib. 3. tit. 14. cap. 8. n. 9., *Nicolius* num. 27. verb.: *Amplia*, ubi sic expresse habet: *Amplia*, ut neque pia repraesentationes, puta passionis Domini vel Sanctorum, permittendae sint in Ecclesiis. Unde S. C. similes licentias concedere solet cum infrascriptis conditionibus:

I. Quod fiant extra Ecclesiam.

II. A Sacerdotibus vel Clericis aut aliis piis viris.

III. De die, non de nocte.



IV. Opus autem revisum et approbatum fuerit ab Ordinario, qui non permittat ibi apocrypha misceri.

V. Totumque fiat sine scandalo et cum aedificatione populorum. S. C. reg. in Reatina 20. Jan. 1579, in Nolana. 28. Apr., in Assisiensi 18. Mart. 1603. Quare, cum scandala timentur, debent prohiberi. S. C. in Viterbiensi 3. Apr. 1582. Et nullibi fieri sine licentia Episcopi; S. C. C. in una Bracharen. Ad conciliandas praedictas opiniones concludendum est, quod repraesentationes pia ac devotae possint quidem fieri in Ecclesiis, sed cum licentia et approbatione Episcopi. Secus autem non.

### REQUIEM AETERN.

(Num cor. SSmo dicendum?)

Vd.: *Expos. SSmi pro Def.* (decr. n. 4645.)  
*De indulg., si dicitur: Req. aet. ad salut. angelicam,* vd. *Indulg.* (Salut. angel.)

### REQUIESCA(N)T.

#### 1) In Missa et Absolutione.

Quando *absolutio* est pro uno defuncto, dicitur: *Requiescat*, pro pluribus in plurali; in *Missa* vero semper dicitur: *Requiescant*. n. 2858 die 22. Jan. 1678.

Cf.: *Ite Missa est* (decr. n. 4526).

Diaconus cantat: *Requiescant* in pace versus altare.

*Caer. Ep.* I. II. cap. XI. n. 9.

#### 2) In Officio a Cantoribus cantatur.

Vd.: *Sepult. Cardinal.* (de ritu etc., ad finem.)

### RES GRAVIS.

Vd.: *Missa vot. pro re gravi; Instructio Clem. §. 12. n. 19.*

### RESIDENTIA.

#### 1) Archidiaconi.

Vd.: *Resid.* (Episcopi.)

### Vici Aquen.

(Conc. Tr. cap. 12. sess. 24. De Ref.)

Constructo jam processu in hac Curia Episcopali ad instantiam promotoris fiscalis contra Franciscum Ferrignum Archidiaconum illius Ecclesiae Cathedralis ex capite non residentiae per fere tredecim annos servatisque terminis a S. C. praescriptis in *cap. 12. sess. 24. de Ref.* Vicarius generalis sententiam privationis Archidiaconatus promulgavit adversus d. Ferrignum. Sed eodem recurrente ad hanc S. C. propositoque dubio: *An constet de legitima privatione Archidiaconatus, de quo agitur?* Responsum fuit: *Negative* sub die 14. Jan. 1708. Verum adhuc perseverante Ferigno in antiqua contumacia non residendi, Curia Episcopalis, ad instantiam sui promotoris fiscalis, novum processum construxit super illius diuturna absentia eumque personaliter citatum in civitate Neapolis, ubi publicam juris lecturam exercere dicitur, et non curantem comparere neque ad residentiam redire per novam sententiam Archidiaconatu privavit, ad cuius majorem comprobationem recursus habuit praedictus fiscalis ad hanc S. C., in qua bina infrascripta dubia procuratori in Curia ex adverso notificata, eoque monito proponuntur hodie EE. VV. ex actis exhibitis et in summar. dandis aliisque deducendis sapienter definienda:

I. *An sit standum vel recedendum a decisio sub die 14. Jan. 1708? Et quatenus in decisio;*

II. *an constet de nova legitima privatione Archidiaconatus, de quo agitur, in casu etc.?*

S. C. C. resp. *ad I.*: In decisio;

*ad II.*: Affirmative.

Die 3. Aug. 1709.

### Tuden.

Postquam anno 1752 de Archidiaconatu nuncupato de Montes in Ecclesia Cathedrali Tudensi provisus fuit a Sancta Sede Franciscus Longorius, preces obtulit Sacro huic Tribunali, quibus petebat dispensationem a residentia ex causa postulationis in causa beatificationis servi Dei Joannis de Avila, obtinuitque dispensationem ad sex menses. Rediit inde anno 1754 aliis precibus, quibus narravit illi dignitati adjunctum non esse onus residentiae praecissae sed tantum causativae, ideoque Emi Patres audire voverunt Tudensem Episcopum, indulta Longorio alia dispensatione ad quatuor menses veris existentibus narratis. Rescripsit Episcopus dignitatem illam esse praecise residentialem; praecessores omnes Longorii resedissee, ultimis duobus exceptis, qui abfuerunt cum dispensatione ex causa infirmitatis. Nullam a Longorio absentiae justam causam proponi, ideoque ei non esse auscultandum. Haec epistola Episcopi, qua de causa ignoratur, Emi Patribus reddita non fuit. Longorius igitur novas obtulit preces prorogationem postulans ob moram Episcopi. His precibus rescriptum fuit: „Dentur novae literae et interim ad tres menses“; aliam inde prorogationem obtinuit ad quatuor menses amissis etc., qua transacta, cum adversa valetudine distineretur, aliam obtinuit ad quatuor menses. Cum vero interim Capitulo Tudensi instante injecta fuisset sequestratio redditibus Archidiaconatus, Longorius novas preces obtulit, quibus petebat, ut Capitulum compelleretur ad proponendas hujus sequestrationis rationes. Rescriptum his fuit die 18. Sept. anno 1758: Episcopo pro informatione et voto audito Capitulo eique praefixo termino ad deducenda jura sua in s. Congregatione.

Advenerunt novae literae ab Episcopo, quibus rem omnem narravit, sed Longorius questus est de attentatis, quod lite pendente sequestratio injecta fuisset, obtinuitque rescriptum: „Dentur novae literae revocato sequestro et interim Episcopus praefigat terminum Capitulo ad deducendum Jura sua in Sacra Congregatione.“ Venit igitur in jus Capitulum Tudense et causa omnis tribus capitibus collecta proponitur. Disputat Capitulum ex Tridentini dispositione dignitates annexum habere onus residentiae praecissae. Id nosci ex facto praecessorum omnium; id ex ipsa absentia duorum, qui Longorium in ipsa dignitatis possessione praecesserunt. Abfuerunt enim cum dispensatione, quam non postulassent, si dignitas non fuisset residentialis. Hinc colligit Capitulum, teneri Archidiaconum integros, quos percepit, fructus restituere; nam de tertia eorum parte nulla esse potest disputatio, cum et Tridentini lege et decreto Sacri hujus tribunalis ita constitutum fuerit: de reliquis partibus, quia nullam habuerit Longorius justam causam, ex qua abesse posset.

Hos denique fructus ab eo restituendos ex eadem Tridentini lege fabricae Ecclesiae esse applicandos. Haec Capitulum. Ab Archidiacono Longorio nihil habuimus. Capita sunt:

I. An Dignitas Archidiaconatus de Montes Ecclesiae Cathedralis Tuden. sit residentialis, itaut Archidiaconus Longorius ad eandem residentiam teneatur?

II. An et a qua die idem Archidiaconus teneatur restituere fructus perceptos?

III. An fructus tam percepti quam a die sequestri applicandi sint fabricae Ecclesiae in casu?

S. C. C. resp. *ad I.*: Affirmative;